

## P R Æ F A T I O .

**A**B aliquot jam annis D. Joannes Fridericus Gaum Civitatis Ulmenſis Bibliopola fama celebris, ac de Republica litteraria non ſemel bene meritus animo decreverat, Collectionem quamdam ſcriptorum rariorum Hiſtoriam Monafterio - Eccleſiaſticam pertractantium præli ope publici Juris facere. Varia obſistere, cur minus ſatisfacere & propriis & aliorum deſideriis potuerit. Tandem novis Eruditorum hortatibus, ceu ſtimulis animatus conceptum in mente ſua decretum exequi ſtatuit, poſtquam rariora ipſi quædam opuscula obvenere, pro complendis ad hunc finem tribus aut pluribus Tomis ſuffectura, quæ hætenus nulla induſtria, nullo ære comparare poterat. Quam emptu & paratu difficilia ſint Monafteriologorum opera, qui vel elapſo primum Sæculo ſcripſere, minime Viros Eruditos, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cultores latet, placebit proin iis haud dubie hoc conſilium, eique applaudent, probe gnari, quantum hujusmodi Collectiones tam ſacram, quam prophanam eruditionem juvent, quidque ad diſſipandas elapſi temporis tenebras conferre valeant. Ego plane, cum ingentia ex hujusmodi conatu in Rempublicam Litterariam emanatura emolumenta animo voverem, non potui non vel ſemel rogatus Collectionis hujus adornandæ curam in me ſuſcipere. Nec curæ ſuſceptæ unquam pœnitebit, qui occaſionem optimam mihi gratulor bene merendi de quibusdam Monafteriis, quibus hanc animi mei promptitudinem probari & à me exoptari ex indubiis ſignis intellexi. Neceſſarium autem ante omnia duco in primi hujus Tomi Veſtibulo inſtruere Lectores benevolos, quid in hac Collectione præſtiturus ſit Bibliopola noſter.

*Primo* rarioris tantum commatis hiſtorica monumenta notiſſima Monafteriorum concernentia, exhibebit hæc Collectio. Illos proin tantum Scriptores ſibi emptores ſperent, qui in officinis librariis vel ob diſtracta jam exemplaria, vel ob aliam quamcunque demum raritatis cauſſam minus frequenter occurrunt, aut difficulter inveniri & comparari poſſunt, quales ſunt, ſolo fere Bruſchio excepto, Monafteriologi omnes, etiam qui elapſo primum ſæculo ſcripſere. Locum etiam in illa invenient Relationes quædam manuſcriptæ, varia authentica documenta aut diplomata, quæ hætenus edita non ſunt. Datam hic fidem mox, Deo favente, liberabimus in ſecundo Collectionis Tomo.

*Secundo.* Illos duntaxat Scriptores promittimus, qui data opera & ex inſtituto de Monafteriorum originibus, quorumcunque Ordinum ſint, narrationem inſtituunt. Ad hanc claſſem etiam varia revocabimus Chronica particularium quorundam Aſceteriorum hiſtoriam illuſtrantia.

*Tertio.* Omni cura ac diligentia cavebitur, ut Scriptores, quorum lucubrationes dabimus, incorrupti ac incaſtrati prodeant. Hoc omnino gratum fore Lectoriſus noſtris perſuaſiſſimum nobis eſt. Si quas notas, aut animadverſiones criticas materiæ ſubjectas invenerint, illas non à noſtro profluxiſſe calamo meminiffe velint, ſed ab ipſiſmet Authoribus margini fuiſſe inſcriptas (quod præſertim Aubertus Miraus ſæpiſſime aſſolet) ea, quam ſervabimus ſemper, fide ac fidelitate atteſtamur. In materia omnino delicata multisque criſibus obnoxia verſamur, in qua facilis offenſioni eſſet locus; præſtabit itaque fidelem potius Collectorem, quam alieni laboris Reformatorem agere.

*Quarto* denique poſt primi hujus Tomi editionem elapſo ſemeftri novus ſuccedet Tomus, qui nec mole nec pretio, ut ementium conſulatur marſupio, præſentem excedet. Hunc tertius excipiet, & fors, ſi faveat cælum, adhuc plures. In cuiusvis Tomi veſtibulo de vita, ætate, rebusque geſtis Authorum, quorum lucubrationes publici juris fiunt, paucis agemus, nec diſſimulabimus, quorum benevolentia vel opera fuerimus uſi. Nec hoc omittendum eſſe cenſeo, plura, quam quingenta

)

hujus



P R Æ F A T I O.

hujus Collectionis Exemplaria non esse è prælo emerfura. Quod itaque primum hunc Tomum concernit, comparebit in illo

*I. Monasteriologia, in qua insignium aliquot Monasteriorum Familiæ S. BENEDICTI in Germania Origines, Fundatores, clarique Viri ex eis oriundi describuntur, eorumdemque Idæ æri incisæ oculis subjiciuntur. Auctore R. P. F. CAROLO STENGELIO ejusdem Ordinis Monast. SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vind. Professo Augustæ Vindelicorum MDCXIX.*

**M**onasteriologiam hanc rarioribus, immo rarissimis scriptis accenset Eruditus Vogtius in *Catalogo Historico Critico lib. rar. pag. 645.* addit: pleraque alia hujus Authoris Opera raro esse obvia & multo ære redimenda. Recusum nunquam fuit hoc Opus, etsi mature distractis Exemplaribus mox videri desierit in Bibliopolarum officinis. Iconismos singulis Monasteriis præfixos omittendos censuimus cum horum Monasteriorum jam alia sit facies. Qualis quantusque vir fuerit Monasteriologiæ hujus Author ex Hierarchia Augustana P. CORBINIANI KHAM P. II. Collegiali discimus. CAROLUS STENGELIUS vitales auras primo Augustæ Vindeliæ hausit Anno 1581. 29. Januarii. Illustrissimo Benedictino Ordini nomen dedit anno 1596. in Imperiali Monasterio ad SS. Udalricum & Afram. Primam Sacerdos hostiam litavit Deo 1605. 18. Aprilis. Capacissimum ingenium à prima juventute variis doctrinis & artibus excoluit. Scientiæ individua comes virtus fuit. Disciplinam monasticam, dum verbo & exemplo magno cum fructu promoveret domi, evocatus est ad Abbatiam Anhusanam anno 1630. 16. Decembris: verum mox 1632. illam ob iniquitatem temporum deserere compellebatur. Interea per Tyrolin & Austriam factò itinere ad Abbatialem sedem post triennium redux, Monasterium pene devastatum invenit. Quo per triennium reparato altera vice migrare coactus est. Post exantlata per integrum biennium exilii mala, iterum ad Abbatiam anno 1640. suam admisus, altero mox anno postliminio fugatus, jam Augustæ, jam Heidenhemii, jam alibi hospes, jam Anhusium revisens, denique anno 1647. die 20. Februarii perveniens Augustam, stabilem sedem fixit in D. Udalrici & Afræ suæ religiosæ professionis Asceterio usque ad calamitosæ peregrinationis, & totius vitæ suæ terminum. Ubi traductis inter continua pietatis & litterarum 16. annis, ad cælestem Patriam Sacerdos Jubilæus anhelans viam universæ carnis ingressus est, piissimamque animam Creatori suo reddidit anno 1663. die 27. mensis Januarii. Funus in ambitu ad D. Udalricum locum sepulturæ accepit, cum hoc Epitaphio marmori inciso & ad parietem infixio.

D. O. M.

DIES MEI SICUT UMBRA  
DECLINAVERUNT  
ET EGO

CAROLUS STENGELIUS

ABBAS ANHUSANUS  
SICUT FOENUM ARUI  
DIE XXVII. MENSIS JANUARIII  
A. C. M. DC. LXIII.  
ÆTATIS LXXXII.  
RELIGIONIS LXVII.  
ABBATIÆ DIGNIT. XXXIII.  
VIXI, ET QUEM DEDERAS CURSUM,  
DEUS ALME PEREGI.

Veniendum nunc ad litteratissimi hujus Abbatis ingenii monumenta, quibus de orbe litterario, Religione Benedictina, & universa Ecclesia præclare fuit meritus. Operum suorum Catalogum ipsemet præmissa præfatiuncula conscripsit, quem, olim Stengelianæ Mantissæ subjunctum, integrum huc transcribo.

F. CA-



P R Æ F A T I O.

F. CAROLUS STENGELIUS ABBAS ANHUSANUS.

*Lectori suo benevolo Pacem & Veritatem.*

*Quoniam nonnunquam contingit temporum lapsu, aliis aliorum lucubrationes falso adscribi; ut D. Hieronymo quædam, quæ sunt Sophronii, D. Augustino, quæ sunt Bedæ aut alterius, &c. Egoque ipse, tantulus inter Scriptores, non ita pridem injuria affectus à quodam, qui scriptum quoddam (de quo scribendo ipse nunquam cogitaveram) mihi affingere ausus est, verso per Anagrammatifinum meo nomine in Lacorum Genestium; operæ pretium magnum mihi fore visum est, si hic nomina librorum, quos jam edidit gratia Dei mecum, & quos pro meis agnosco, quosque deinceps in lucem Deo bene favente sum daturus recenserem, & quibus quisque locis editus est, indicarem. Sic enim & Ordinis mei Honori, & rerum Veritati, & justitiæ optime consulero, faciens scilicet, ut deinceps nemo bonus in suspicionem plagii falso apud posteros veniat, neminem innocentem & doctum, mearum si quæ sunt, nugarum immerito pudeat. Mea igitur sunt, quæ sequuntur, Latina, Germanica.*

L A T I N A.

- |  |       |
|--|-------|
| 1. Vita S. Wicterpi Episcopi Augustani. Augustæ in 8.  | 1607. |
| 2. Vitæ S. Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis, & Wilhelmi Gellonensis cum commentario. Augustæ in 4. | 1611. |
| 3. Vita S. Wunibaldi Abbatis. Aug. in 4.   | 1612. |
| 4. SS. Nominis JESU cultus & miracula. Aug. in 8.  | 1613. |
| 5. Αλεξητήριον, id est, historia pestis. Augustæ 8.  | 1614. |
| 6. Virginalè Nomen MARIA, &c. cum fig. æneis. Augustæ 8.   | 1619. |
| 7. Catalogus plusquam 1000. Monast. Ord. S. Ben.   |       |
| 8. Vita S. Joannis Apostoli & Evangelistæ.   |       |
| 9. Chronologica descriptio Mon. SS. Udalrici & Afræ. Aug. in fol. patenti.                       | 1613. |
| 10. Vita S. Simperti Episcopi Aug. Augustæ in 8.   | 1615. |
| 11. Vita S. Josephi cum fig. Sadelerianis Monaci 12.   | 1616. |
| 12. S. Michaëlis. }  |       |
| 13. S. Gabrielis. } Historia Ingolstadii in 12. cum fig. æneis.                                  | 1619. |
| 14. S. Raphaëlis. }  |       |
| 15. De Familiaribus Christi.   |       |
| 16. De VII. Machabæis.   |       |
| 17. Monasteriologia cum fig. æneis. Augustæ fol.   | 1620. |
| 18. De S. Petro. Augustæ in 4.   | 1620. |
| 19. Officium parvum S. Caroli Borromæi, Aug. 18.   | 1621. |
| 20. Vita S. Benedicti cum explicatione Regulæ cum fig. æneis, Aug. in 18.                        | 1621. |
| 21. Corona Lucida, de propagatione O. S. Bened. cum fig. æneis. Aug. in 8.                       | 1621. |
| 22. Vita S. Mariæ Magdalenæ cum fig. æneis. in 12.   | 1621. |
| 23. Historia Passionis D. N. J. C. Augustæ 4.  | 1622. |
| 24. Vita SS. Joachimi & Annæ cum fig. æneis. Aug. in 8.  | 1617. |
| 25. Idæa Christianæ pietatis cum fig. Augustæ in 8.  | 1622. |
| 26. Thuribulum aureum, cum fig. Augustæ in 8.  | 1624. |
| 27. Vindiciæ S. Udalrico, &c. datæ Aug. in 8.  | 1614. |
| 28. SS. Reliquiarum cultus & miracula, &c. & Ingolstadii in 8.                                   | 1624. |
| 29. Imagines SS. Ord. S. Bened. cum Elogiis. Aug. in 4.  | 1625. |
| 30. Meditationes in Reg. S. Bened. à Lotharingo scriptæ. Aug. in 12.                             | 1623. |
| 31. Rer. Eccles. Aug. Vind. lib. 15. furto sublatus est.   |       |
| 32. Monasteriologiæ pars 2. cum fig. Aug. in fol.  | 1638. |
| 33. Protheus gratulatorius. Monachii in 8.   | 1639. |
| 34. Cæremoniale Benedictinum. Dilingæ in 8.  | 1641. |
| 35. Brevis Index SS. Ord. S. Bened. Ingolstadii in 12.   | 1645. |
| 36. Gazophylacium. Ingolstadii in 12.  | 1645. |
| 37. De statu animarum post mortem. Aug. in 12.   | 1645. |



P R Æ F A T I O.

- |  |       |
|--|-------|
| 38. Præsentium calamitatum origo, &c. Ingolstadii in 12. | 1646. |
| 39. Artes bellandi. Ingolstadii in 12.                   | 1646. |
| 40. Hortensius in 2. Tomis. August. in 12.               | 1647. |
| 41. Laudes S. P. N. Benedicti. Augustæ in 4.             | 1647. |
| 42. Oeconomia Reg. S. P. N. B. Augustæ in 4.             | 1648. |
| 43. Rerum August. Vind. commentarius. Ingolstadii in 4.  | 1647. |
| 44. Mantissa &c. Augustæ in 4.                           | 1650. |
| 45. Thaumasia Benedictina 4. Augustæ.                    | 1650. |

*Prælum proxime expectant.*

- |  |  |
|--|--|
| 46. Optica Pastorum & Prælatorum.  |  |
| 47. Christologia in duos tomos distincta: in qua primum Genealogia Christi, fuse describitur: deinde Historia Patriarcharum hujus Genealogiæ ab Adamo usque ad Christum sine interruptione continuatur: tertio ab Incarnatione Christi, ejus infantia, pueritia, usque ad Baptismum continetur; Tomo secundo vero vita ejusdem prædicantis, miracula patrantis, patientis, morientis, resurgentis & in cælum ascendentis in capita distincta refertur. |  |
| 48. Hierologia, five Templorum historia, &c.   |  |
| 49. Vitæ historia S. Jacobi majoris Apostoli.  |  |
| 50. Numerorum allegoriæ & mysteria.  |  |
| 51. Coronæ Lucidæ pars secunda, de Scriptoribus Ord. S. Benedicti.   |  |
| 52. Julii Nigroni Asceticorum compendium.  |  |

G E R M A N I C A.

- |  |       |
|--|-------|
| 1. Dialogus de Passione Domini. Augustæ in 8.              | 1606. |
| 2. VII. Casus Domini patientis cum fig. Augustæ 8.         | 1608. |
| 3. VII. Opera Misericordiæ corporalia cum fig. Aug. 8.     | 1608. |
| 4. VII. Horæ Canonice cum fig. Augustæ in 8.               | 1608. |
| 5. VII. Urbis Rom. Ecclesiæ, cum fig. Aug. in 8.           | 1608. |
| 6. Calendarium ex Martyrologio cum fig. Aug. 8.            | 1608. |
| 7. Vita B. MARIE V. cum fig. Augustæ in 8.                 | 1609. |
| 8. Vita S. Bened. cum figuris; & Regula Aug. in 8. majori. | 1610. |
| 9. Salutationes ad B. M. Virg. cum fig. Aug. 8.            | 1610. |
| 10. Remedia contra 7. Peccata mort. cum fig. Aug. 8.       | 1610. |
| 11. Miracula SS. Rosarii cum fig. Augustæ in 8.            | 1620. |
| 12. De VII. Angelis Principibus cum fig. Aug. 8.           | 1611. |
| 13. Peccati fomes, vincula, pæna, medela, cum fig. Aug. 8. | 1611. |
| 14. Vita S. Dominici cum fig. Aug. 8.                      | 1612. |
| 15. Vita Christi in forma orationis cum fig. Aug. 8.       | 1612. |
| 16. XIV. Ord. Fundatores cum fig. Aug. 16.                 | 1613. |
| 17. Vita S. Caroli Borromæi cum fig. Aug. in 8.            | 1614. |
| 18. Vita S. Bernardi cum fig. Aug. in 8.                   | 1614. |
| 19. Infantia Salvatoris mystice cum fig. Aug. 8.           | 1614. |
| 20. Vita S. Simperti E. A. Augustæ in 8.                   | 1615. |
| 21. Monasteriologia cum fig. Augustæ in 4.                 | 1620. |
| 22. Chronicon Eccles. August. cum fig. Aug. in fol.        | 1620. |
| 23. De XV. Auxiliatoribus. Aug. in 16.                     | 1621. |
| 24. Stemma D. N. J. C. in 2. part. Monachii in 8.          | 1648. |
| 25. In laudem Mathematices.                                |       |
| 26. Contra Astrologos fortilegos.                          |       |

E LATINO SERMONE IN GERMANICAM LINGUAM  
TRANSLATA OPERA.

- |  |       |
|--|-------|
| 1. Lignum vitæ Arnoldi Wion in 269. Tomis cum fig. æn. Aug. in 4.                      | 1607. |
| 2. Alphonsi Palæoti de SS. Sindone cum fig. Aug. 4.                                    | 1607. |
| 3. Alphonsi Ciacconii de CC. Mart. Ord. S. Bened. Aug. 8.                              | 1606. |
| 4. Meditationes Joan. à Turrecremata cum fig. Aug. 8.                                  | 1608. |
| 5. Triumphus Jesu Christi crucifixi. Bartholomæi Riccii, cum fig. Augustæ in majori 8. | 1609. |
|  | 6. De |



P R Æ F A T I O.

- |  |       |
|--|-------|
| 6. De Cruce transeunte Jacobi Gretseri Ingolstadii 4.  | 1610. |
| 7. Viridarium SS. Matthæi Raderi. Augustæ 8.   | 1611. |
| 8. Miracula S. Caroli Borromæi & Canonizatio. Augustæ in 8.  | 1611. |
| 9. Paradisus Sponsi & Sponsæ, P. Joannis David cum 100. fig. æneis Aug. in 8. 1610. ter impressus. |       |
| 10. Pia Desideria Hermanni Hugonis cum fig. Aug. 12.   | 1626. |
| 11. Testamentum Hominis Christiani Ant. Sucquet. Aug. 12.  | 1625. |
| 12. Via Vitæ æternæ Ant. Sucquet cum fig. Aug. 8.  | 1624. |
| 13. Eadem in duabus partibus, aucta Monachii 8.  | 1627. |
| 14. Manifestum pro Agonizantibus Cavetani. Augustæ 12.   | 1628. |
| 15. Cor Deo sacrum P. Caroli Musart. Aug. 12. cum fig.   | 1630. |
| 16. Schola Cordis Benedicti Häffteni cum fig. Aug. 8.  |       |
| 17. Francisci Bourginei Litanie Lauretanæ, cum fig. Ingolst. 8.                                    | 1636. |
| 18. Ejusdem Meditationes de Adventu.   |       |
| 19. P. Georgii Stengelii de SS. Nomine Jesu. Monachii 8.   | 1638. |
| 20. Menologium Cisterciense.   |       |
| 21. P. Caroli Musarti Peregrinus Calvarie.   |       |

Meminit STENGELIUS in hoc Operum suorum Catalogo *Monasteriologiae Partis secundæ*, quam pariter cum figuris Augustæ Vindelicorum Anno 1638. in folio fuisse editam asserit. Hoc Opus ipsa raritate rarius in nullis etiam instructissimarum Bibliothecarum Catalogis detegere potuimus, multo minus aliquo comparare pretio, aut ab Amicorum obtinere patrocinio. In celeberrimis etiam implorato Augustanæ Civitatis Monasteriorumque Bibliothecis disparuit. Implorat omnes supellectilis Librariæ Præsides Bibliopola noster, ut Partis hujus secundæ quocunque demum pretio redimendæ pro suo in Historiam Ecclesiastico-Monasticam affectu participem reddere dignentur. Interea usque dum aliquis appareat ex Machina Deus Collectioni huic inserta est

**II. Reverendissimi Abbat̃s CAROLI STENGELII MANTISSA RERUM AUGUSTANARUM** *Ampliolem Diœcesis Augustanæ descriptionem continens: in qua Civitates, Monasteria, Viri Ecclesiastica dignitate illustres quotquot inveniri potuerunt diligenter annotantur. Augustæ Vindelicorum Typis Andreae Apergeri. M. DC. L.*

Minimè aliena est à præsentis Collectionis instituto nova rarissimæ hujus MANTISSÆ editio, utramque enim paginam replent Variorum Monasteriorum *Abbatum Catalogi*, qui ad Monasteriologiam magis illustrandam apprimè servient. Hanc MANTISSAM insequuntur

**III. ORIGINES BENEDICTINÆ, sive illustrium Cœnobiorum Ordinis S. BENEDICTI, Nigrorum Monachorum, per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgiam, Britanniam, aliasque Provincias exordia ac progressus.** *ALBERTUS MIRÆUS Bruxellensis, S. Theologiæ Licentiatus, Canonicus & Sigillifer Antverp. eruendo publicabat. Coloniae Agrippinæ. Sumptibus Bernardi Gualtheri Anno M. DC. XIV.*

AUBERTUM le MIRE sive MIRÆUM Joannes Albertus Fabricius in *Præfat. Bibliothecæ Ecclesiasticæ Virum* vocat non minus de Veteri memoria quàm de posteritate omni monumentis in lucem editis insigniter promeritum. Gratitude Thure merito doctissimos illius Manes colit magna D. BENEDICTI Posteritas, cujus honori in præsentis Opere consecravit calamum, quod ex Veteribus MSS. ex omnium penè gentium Historiis, ex publicis Cœnobiorum Tabulariis, privatisque Amicorum Bibliothecis studiose collegit. Natus est Bruxellæ anno 1573. 30. Novembris ex prænobili familia. Aliquamdiu elegantiores litteras in Patria docuit, ubi simul sub Magisterio JUSTI LIPSII, magni illius Musarum Arbitri, plurimum profecit. Duaci meritissimo Vertici Theologici Doctoratûs Lauream anno 1611. die Mensis Maji 4. imposuit GUILIELMUS ESTIUS. Ita quidem *Niceronius* in *Eruditorum Memoriis* refert. Moneo tamen, id intelligendum esse de prima, non de suprema Theologiæ Laurea, qua insignitus nunquam fuerat MIRÆUS. Reliqua vitæ Ejus



Orna-



## P R Æ F A T I O.

Ornamenta à mortuo discamus, cujus Epitaphium, quale Antverpiæ in ambitu Chori visitur, Posterorum Memoriam hunc in modum loquitur.

D. O. M. S.

AUBERTO MIRÆO, H. CATH. ECCL. DECANO, STUDIIS SCRIPTISQUE CLARISSIMO, QUI ORDINIBUS RELIGIOSIS ORIGINES, ANNALIBUS GESTA, PIIS FUNDATORIBUS FAMAM, HISTORIIS LUCEM, SCRIPTORIBUS PER ELOGIA VITAM, PATRIÆ CLARITUDINEM, ECCLESIE HUIC DECUS ASSERUIT: QUIBUS ASSIDUE LABORANTI AC FELICITER OPERANTI ET PERENNARE DIGNISSIMO MORS MANUM INJECIT ANNO M. DC. XL. MENS. OCT. DIE XIX. VITÆ EJUS LXVII. JOAN. CAROL. FRANCHEMIUS MIRÆUS EX ASSE HÆRES AVUNCULO MAGNO, PROPARENTI OPTIMO, IN H. E. CHORO CONDITO GRATITUD. ERGO MONUMENTUM P. C.

In choro à parte meridionali hæc leguntur.

UNI TRINOQUE DEO S. CUI QUOD DE TERRA ACCEPERAT, EIDEM HIC REDDIDIT AUBERTUS MIRÆUS, GUIL. F. JOANNIS QUOND. EPISC. EX FRATRE N. HUIUS CATH. ECCL. DECANUS ET EPISCOPAT. VICARIUS GENERAL. PROTONOT. APOST. S. TH. LIC. SER. ALBERTO ET ISABELLÆ, AUSTRIÆ ARCHID. BELGII PRINCIPIBUS, A SACRIS ORATORII ET BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS. PIIS MANIBUS LECTOR BENE APPRECIARE.

Videatur *TOBLÆ MAGIRI Eponymologium Criticum* pag. 596. ubi Epitaphium hoc Bruxellæ reperiri asserit, quod tamen haud dubie Antverpiæ visitur, constat enim, *MIRÆUM* non Bruxellensem, sed Antverpiensem Canonicum & Decanum fuisse. Libros, quibus Orbem Litterarium sibi devinxit recenset *NICERONIUS* in supra citatis *Memoriis Eruditorum Gallico idiomate editis* Tom. VII. pag. 277-287. quas Germaniæ nostræ bono in vernaculam linguam traductas *D. SIGISMUNDUS JACOBUS BAUMGARTEN* Halæ Saxonum ab anno 1749. laudatissima industria auctiores publicare pergit. Ex his illas duntaxat *MIRÆI* Lucubrations huc transpono, quibus apud Varios Religiosos Ordines immortalem memoriam meruit. Sunt autem præter *Origines Benedictinas* sequentes.

*Origines Cartusianorum* per orbem univèrsam. Coloniae 1609. in 8.

*Origines Ordinum Equestrium* sive *Militarium* libri duo. Antverpiæ 1609. in 4. Coloniae 1638. in 8.

*Origines Virginum Ordinis B. M. Virginis Annuntiatæ.* Antverpiæ 1618. in 4.

*Origines Ordinis Carmelitani* ab Elia Propheta inchoati, ab *ALBERTO* Patriarcha vitæ regula temperati, à S. *THERESIA* ad primævam disciplinam revocati. Antverpiæ 1610. in 8.

*Origines Ordinum Augustinianorum.* Antverpiæ 1611. in 8.

*Origines Canonorum Regularium Ordinis S. AUGUSTINI.* Coloniae 1614. in 8.

*De Collegiis Canonorum Regularium S. AUGUSTINI per Belgium, Franciam, Germaniam, Hispaniam &c.* Coloniae 1614. in 8.

*Ordinis Præmonstratensis* Chronicon, in quo Cænobiorum istius instituti per Orbem Christianum *Origines & progressus* recensentur. Col. Agrip. 1613. in 8.

*Chronicon Cisterciense.* Coloniae 1614. in 8.

Recensita hæc Opuscula omnia suis locis inferentur in hac Collectione nostra. Quæ si benignum Lectoris oculus inveniet, fors maturius è prælo eluctabitur. Interim Historiæ Monastico Ecclesiasticæ studiosos impensissime rogatos vult Bibliopola, ut suo favore hanc Collectionem juvare, & si quos forte Monasteriologos suis in Armariis sive nondum editos, sive rarius in librariis tabernis occurrentes servant, benigne illos communicare nobiscum velint, quam benevolentiam grata semper re-  
colemus memoria.

Dabam Ulmæ Svevorum in Exempta Canonica S. Michaelis Archangeli ad Insulas Wengenses dicta 30. Augusti 1754.

MICHAEL KUEN, Can. Reg. & Decanus.